W f 1725

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731629-p0001-1
DFG

III, 16.



III, 16.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731629-p0002-7

DE. SVMMIS

# SERENISSIMAE. GENTIS. ERNESTINAE
## IN. REM. ALTENBVRGENSIVM. SCHOLASTICAM

MERITIS

*PROGRAMMA. V*

---

QVO

AD. AVGVSTA

D. VII. KAL. MAII. cIↃ Iↄ CCLIII. RECVRRENTIS

# NATALIS
## SERENISSIMI. PRINCIPIS. AC. DOMINI
## DOMINI
# FRIDERICI. III
## DVCIS. SAXONIAE

IVLIACI. CLIVIAE. MONTIVM. ANGARIAE. ET. WESTPHALIAE
LANDGRAFII. THVRINGIAE. MARCHIONIS. MISNIAE. PRINCIPIS. COMITIS. HEN
NEBERGAE. COMITIS. MARCAE. ET. RAVENSBERGAE. DYNASTAE
RAVENSTEINII. ET. TONNAE

## PRINCIPIS. AC. PATRIS. PATRIAE
## LONGE. CLEMENTISSIMI

CRAS. AVDITA. POST. MERIDIEM. HORA. III

IN. ILLVSTRI. FRIDERICIANO. GYMNASIO

PER. TRES. EQVESTREM. DIGNITATEM. INSIGNI. VIRTVTIS. NOBILITATE
ORNANTES

ET. TRES. CIVICI. ORDINIS. PROBOS. ET. INDVSTRIOS. IVVENES

PIETATIS. IN. DEVM. ET. PRINCIPEM

COMMVNISQVE. OMNIVM. LAETITIAE. INTERPRETES

RELIGIOSE. CELEBRANDA. SOLENNIA

PERILLVSTRES. EXCELLENTISSIMI. GENEROSISSIMI
ATQVE. AMPLISSIMI. AVLAE. FRIDERICIANAE
ATQVE. VRBIS. HVIVS. PROCERES

## MAECENATES. MAXIMI

CVRATORES. GYMNASII. SPECTATISSIMI. GRAVISSIMI
RELIQVI. OMNES. REI. LITTERARIAE. FAVTORES

MAXIMOPERE. COLENDI

DEMISSE. ATQVE. OBSERVANTER. INVITANTVR

A

M. IOANNE. GOTTFRIDO. MOERLINO

ILL. FRIDERICIANI. GYMNASII. DIRECTORE

LATINAE. IENENSIVM. SOCIETATIS. COLLEGA. HONORARIO

---

ALTENBVRGI

LITTERIS. PAVLI. EMANVELIS. RICHTERI

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731629-p0003-2

Tres DIVVS. IOANNES. FRIDERICVS ſuperſtites reliquerat filios, omnes ſalutaris de CHRISTO doctrinae tenaciſſimos optimorumque ſtudiorum amantiſſimos, quorum IOANNES. FRIDERICVS. II rectiſſimi exempli Princeps, et, ſi animum a Grumbachianis conſiliis intactum ſeruare contigiſſet, feliciſſimus, vix annum egreſſus quartum decimum, IOANNES. GVILIELMVS annos admodum tredecim natus, ille, *de Officio boni Principis*, hic, *de Sancto Georgio*, die III. Kal. Maii cIↄIↄXLIII. Wittebergae, IOANNE. FRIDERICO. PATRE SERENISSIMO. ERNESTO. DVCE. LVNEBVRGICO. WOLFGANGO ANHALTINO. PRINCIPE totius Aulae Proceribus, vniuerſisque Academiae Profeſſoribus et ciuibus praeſentibus, luculentas orationes latinas, tanta cum alacritate actionisque condecentia, pueri adhuc, habuerant, vt omnibus ſui admirationem iniecerint. Müllerus (*a*) quidem orationes has anno prius, et a IOANNE. FRIDERICO d. VIII. Kal. Iunii, a IOANNE GVILIELMO d. III. Non. Iulii, nec Wittebergae, ſed in arce Torgauienſi habitas ſcribit; verum certiora et pleniora docet ſummis in hiſtoriam Lutheraniſmi meritis conſpicuus Seckendorffius (*b*), qui praeter iam dictas, alias duas anno cIↄIↄXLII. Torgauiae, a ſolo IOANNE FRIDERICO, priorem, *de legibus regni litterarii puerilis*, pridie Kalendas Martias, poſteriorem, *de Victoria ab HENRICO. Duce Brunſuicenſi deportata gratulatoriam* poſtridie Kal. Octobr. pronuntiatas commemorat, quibus profectuum in aetate adeo tenera documentis tantopere delectatum conſtat Lutherum fuiſſe, vt omnes quatuor orationes typis deſcriptas ſingulari praefatione, eaque Tomo IV. L. I. inſerta, ornauerit, teſtatusque ſit, ſe in his iuuentutis Principibus, quod nunquam antea in Germania cuiquam videre contigiſſet, admiratum, in memoriam praeteritorum rediiſſe temporum, quibus vniuerſus Clericorum Doctorumque ordo non potuerit in campum oratorium producere, qui paria facere ſuſtinuerit. Exemplum illarum orationum, olim bibliothecae DVCIS. RVDOLFI AVGVSTI. Brunſuigæ ornamentum, iam in Guelpherbytana ſeruari, idem affirmat magnus Seckendorffius. IOANNES. FRIDERICVS. III vulgo iunior, non minus egregie praeclaris artibus imbutus deditusque, Ienae in ipſo ſtudiorum curſu, annos natus duo de triginta, exſtinctus eſt, neutro fratrum amore in religionem atque eruditionem inferior.

Redierat Altenburgum noſtrum cum omni tractu, conuentione Numburgenſi ad DIVVM IO. FRIDERICVM. MAGNANIMVM, quo paullo poſt, anno cIↄIↄLIV. humanis rebus erepto, filii tanto patre digniſſimi, memores eorum, quae teſtamento ille de ſubleuandis rei ſacrae miniſtrorum atque in ſcholis praeceptorum neceſſitatibus cauerat, ſtatim, anno circumacto, diplomate propoſito declarabant (*c*), conſtitutum ſibi eſſe, exemplo aui patrisque, praeter duo florenorum millia Eccleſiae miniſtris alendis deſtinata, quadragenis ſeptenis iuuenibus in caſtris muſarum ſtipendia Ienae facientibus, et ex his, denis equeſtri loco natis, non definito annorum numero, tricenos quinos, reliquis ſacerdotum, ciuium, ruricolarum filiis tricenos florenos aſſignare, ea tamen lege, vt non niſi apti ad ſtudia vereque proclіues, nec ante ſextum et decimum aetatis annum, nec niſi praeceptis grammatices omnino imbuti, beneficiis illis fouerentur, inſuperque ad ſcholas ſingulares quingentos, ludosque puellares vrbium, trecentos et quadraginta florenos ſoluere, quarum impenſarum ſumma, vere principalis munificentiae teſtis, cuius etiam Altenburgum noſtrum expers non fuit, tantum non centena millia effecit. Triennio a morte DIVI. ELECTORIS interiecto, filius eius natu maximus, conſentiente vtroque fratre, communi omnium nomine imperium in quatuor annos adminiſtrandum ſuſceperat (*d*), cui cum duplicato annorum numero praefuiſſet, de indiuiduo regimine exercendo fratres inter ſe conuenerant; ſed tantum quod pactum illud inierant, tertio ex ipſis mortalitate intercepto, IOANNES. GVILIELMVS adſueto imperio fratri inuiteque cedenti inſtabat euincebatque vt temperamento communis vtriusque ſoceri FRIDERICI. III. Palatini ad Rhenum Electoris, vniuerſae prouinciae in aequales partes, Vinarienſem atque Coburgenſem in ſex annos diuiderentur, illa, IOANNI. FRIDERICO, hac, ſibi aſſignata, ea conditione, vt abſoluto triennio, prior iuniori, poſterior ſeniori cederet, ſeruato tamen communis imperii nomine, quo pacto Altenburgum noſtrum in IOANNIS. GVILIELMI ditionem venit, qui non ita multo poſt, cum intelligeret, fratri conſiliorum Grumbachianorum illecebris irretito grauiora imminere, ſolus clientelarem fidem Imperatori praeſtitit, ſolus per omnem vitam rem ſacram, ciuilem et litterariam Principatus Altenburgenſis feliciſſime rexit.

Princeps Eius cura fuit ſtabiliendae, ſi fieri poſſet, Electorales inter et Thuringicos doctores concordiae, quare communicatis cum AVGVSTO Saxoniae Electore vere Auguſto conſiliis, effecit, vt Altenburgum colloquio inſtituendo deſtinaretur, cui Ipſe praeſidere (*e*) non grauatus eſt, qua de re, vir, cuius in Eccleſiam meritorum et in ſcholam noſtram, legato olim declaratae beneuolentiae, nunquam intermoritura eſt memoria, Chriſtophorus Henricus Loe-

(*a*) IO. SEB. MVLLER. Annal. Sax. p. 98.
(*b*) VIT. LVD. L. B. DE SECKENDORFF. Hiſt. Lutheraniſmi p. m. 2182. §. 30.
(*c*) MVLLER. A. S. p. 126.
(*d*) IDEM. l. c. p. 128.
(*e*) IDEM. l. c. p. 153.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731629-p0004-8

Loeberus (*f*) haec habet: *Placuit Electori ad inſtantiam Eius quosdam ſuorum Altenburgum mittere ad colloquium cum Theologis Ducalibus. Illi erant D. Paulus Eberus, D. Henricus Salmuth, D. Andreas Freyhub, D. Petrus Praetorius, M. Caſpar Cruciger et M. Chriſtianus Schütz, cum Notario M. Henrico Müllero. Ducales erant D. Io. Wigandus, D. Io. Fridericus Coeleſtinus, M. Chriſtophorus Irenaeus, M. Bartholomaeus Roſinus, M. Alexius Breſnicerus, M. Timotheus Kirchnerus, cum Notario M. Martino Burggrauio. Diſputatum fuit a 20 Octobr. A. C. 1568. vsque ad 9. Martii anni 69. non ſine acerbitate de iuſtificatione et bonis operibus.* Non ſperato quidem euentu finitum eſt illud colloquium, ſed tamen ad augendam optimi Principis in cuſtodienda vera Euangelii doctrina vigilantiam, biennio poſt, opere illo cedro digno, quod corpus doctrinae inſcribitur, de nouo declaratam, vtili, quo ipſo ſcholis etiam, arctiſſimo vinculo cum re ſacra copulatis, egregie fuit conſultum. Exſtat hodieque de obitu ILLVSTRISSIMI. PRINCIPIS. IOANNIS. GVILIELMI DVCIS. SAXONIAE. Oratio Iuſti Lipſii, tum Eloquentiae Profeſſoris apud Ienenſes, anno ſalutis cIↄIↄLXXIII. d. XVIIII. Martii habita, iterum publici iuris facta piiſque manibus Filii Eiusdem FRIDERICI. GVILIEMI nunquam ſatis laudati Principis conſecrata Halae Saxonum typis Eraſmi Hynitzii, pulcra ſane, perſpicua et adeo diſſimili aliis Lipſianis ſcriptis ſtilo facta, vt nec affectata breuitas in illa appareat, nec vero etiam phalerata verba mirarique ſubeat, quare Sal. Geſnerus (*g*) dixerit: *Virilem IOANNIS. GVILIELMI aetatem et quo modo ille vniuerſam deinceps vitam tranſegerit, eius rei Iuſtum ſane Lipſium praeconem vobis commendarem, eiusque de oratione, quam anno 1573. in academia Ienenſi habuit, nonnulla proferrem, niſi clariſſimum nomen Conſtantiſſimi Principis, turpis apoſtatae et iam non iuſti ſed iniuſti, nec Lipſii, ſed Lapſii, cuius tamen elegantem doctrinam non vitupero, phaleratis verborum lenociniis contaminare vererer.* Fuerit apoſtata, fuerit

*relligione triceps,*

*Ienae LVTHERI, Lugduni, credite, CALVI*

*Louani ſimulans dogmata cuncta PAPAE*

vt eſt apud Zeumerum (*h*), merito quidem hoc nomine deteſtabilis, ſed egregius et verus meritorum tanti Principis laudator fuit. Quid minus phaleratis verborum lenociniis ſimile, quam tota haec Lipſii oratio, vel his verbis fidem facientibus: *O dignum omnium ſeculorum memoria Principem, qui initium, qui finem Principatus ſui in religione conſtituit. An vero Numa Pompilius Romanorum ſecundus Rex ob conſtitutam vanam religionem hoc ſolo nomine conſecratus eſt ad hominum memoriam ſempiternam? huius Principis gloriam vlla vnquam delebit obliuio? qui non falſorum Deorum cultum, ſed vnius DEI inuocationem, non mendacem ſuperſtitionem, ſed veram Euangelii doctrinam, non tenebras, ſed lucem, non mendacia, ſed veritatem induxit, inductam ſtabiliuit, ſtabilitam defendit. Obruor exemplis eximiae pietatis, quocunque oculos animumque conuerto. Eccleſiam intueor, video in ea veterem diſciplinam reſtitutam: reperio conuentus Aldenburgi, Vinariae, ipſo Præſide, Conſtantini Magni exemplo celebratos. Ad ſcholam conuertor: video praeſtantiſſimos viros et lumina Germaniae ex diſtantibus locis conductos: occurrunt tot priuata ſtipendia: occurrunt priuilegia illo ipſo promulgante aucta et amplificata: Semper enim ille ſic de ſcholis ſentiebat, vt in illis niti ſalutem eccleſiae, et eas qui tollerent, ſolem e mundo tollere, iudicaret*, ex quibus facile iudicatu eſt, quali etiam in noſtram Altenburgenſium rem ſcholaſticam animo fuerit DIVVS. PRINCEPS. IOANNES. GVILIELMVS

HIC eſt Ille, cuius vnius Poſteritas in tot CELSISSIMAE. STIRPIS. ERNESTINAE. RAMOS diffuſa hodieque floret, faxit DEVS, vt ad finem vsque rerum vniverſitatis laetiſſime floreat. HIC eſt, cuius generoſiſſimo ſanguine ortus ERNESTVS Ille PIVS. SERENISSIMAE. DOMVS. REGNATRICIS. SAXO-GOTHANAE ATQVE. ALTENBVRGICAE. CONDITOR feliciſſimo cum ELISABETHA SOPHIA. IOANNIS. PHILIPPI. LECTISSIMA. FILIA connubio exſtitit, cuius PRONEPOS. SERENISSIMVS. PRINCEPS. AC. DOMINVS DOMINVS. FRIDERICVS. III. DVX. SAXONIAE IVLIACI. CLIVIAE. MONTIVM. ANGARIAE. ET. WESTPHALIAE. LANDGRAFIVS. THVRINGIAE. MARCHIO. MISNIAE PRINCEPS. COMES. HENNEBERGAE. COMES. MARCAE. ET. RAVENSBERGAE. DYNASTA. RAVENSTEINII. ET. TONNAE. PRINCEPS. AC. PATER. PATRIAE. LONGE. CLEMENTISSIMVS diui-

(*f*) CHR. HENR. LOEBERVS in Hiſt. Eccl. Ephoriae Orlamundanae p. 67 ſq.
(*g*) SAL. GESNERVS in Orat. Fun. ILLVSTRISSIMO. CELSISSIMOQVE. PRINCIPI FRIDERICO. GVILIELMO dicta p. 23.
(*h*) M. IO. CASP. ZEVMERVS in Vitis Profeſſorum Ienenſium Claſſ. IV. p. 30.

diuino munere terris conceſſus, hoc ipſo VII. Kal. Maii die annum vitae, felicitatis ſubiectorum conſeruatricis quartum et quinquageſimum compleuit. Vberrima inde atque exoptatiſſima nobis offertur et laetandi, gratulandi, vota nuncupandi, et merita cum IPSIVS PATRIS. PATRIAE. OPTIMI tum vniuerſorum SERENISSIMAE. DOMVS SAXO-ALTENBVRG. olim PRINCIPVM pie recolendi materia. Quam auide illam FRIDERICIANVM arripiat Gymnaſium, craſtinus dies declarabit, quo audita poſt meridiem hora tertia, tres praeſtantiſſimae Francorum, Thuringorum, Miſnicorum Nobilitatis, virtutum ſplendore praeſtantiſſimi, et tres ciuici ordinis, probitate atque induſtria in primis commendabiles iuuenes, publice facturi verba, communis omnium in DEVM et PRINCIPEM pietatis erunt interpretes. Sunt illi

PERILLVSTRIS. ATQVE. GENEROSISSIMVS. DN. GVILIELMVS. HENRICVS CHRISTOPHORVS. HAIMARDVS. L. B. DE WOLLZOGEN. *Eques Franconicus*, EXCELLENTISSIMI. SACRI. CONSISTORII. PRAESIDIS. MAECENATIS noſtri MAXIMI optimae ſpei et gloria primariae Generis Nobilitatis digniſſimus filius, qui Hoſpes adhuc Muſarum noſtrarum longe nobis acceptiſſimus, habita prius de Cura rei ſacrae PRINCIPI glorioſa *Latina Oratione*, vale noſtris dicet ſedibus, non ſine laude et gratulatione a nobis dimittendus.

PERILLVSTRIS. ATQVE. GENEROSISSIMVS. DN. IOANNES. FRIDERICVS. HENRICVS. DE. DIESCAV. *Eques Thuringicus*, nemini non propter virtutes plane eximias probatiſſimus, qui habita prius de FRIDERICO. GVILIELMO III. Maximae Spei PRINCIPE, *Germanica Oratione*, Ienam ad altiora tractanda ſtudia abiturum DN. L. B. DE. WOLLZOGEN piis votis laetisque ominibus amice proſequetur.

PERILLVSTRIS. ATQVE. GENEROSISSIMVS. DN. ADOLPHVS. AVGVSTVS. DE. BERBISDORFF. *Eques Miſnicus*, vt Generis ita mentis Nobilitate florentiſſimus, qui Meritorum DIVI. FRIDERICI. GVILIELMI. II. DVCIS. SAXO-ALTENBVRGICI. *Latina Oratione* recolet memoriam.

IOANNES. FRIDERICVS. GOTTLIEB. ERDMANN. *Lubbena Luſatus*, probitatis artiumque ad humanitatem pertinentium ſtudioſiſſimus, qui Meritis laudibus DIVI. IOANNIS. PHILIPPI. DVCIS. SAXO-ALTENB. praeclare facta proſequetur *Oratione Latina.*

IOANNES. GOTTLIEB. BÜTTNER. *Rüdigsdorf.* felici ingenio atque optima quaeque promittente praeditus, qui Immortalem gloriam DIVI. FRIDERICI GVILIELMI. I. fama ſuper aethera noti Electoralis Saxoniae Adminiſtratoris venerabitur *Oratione Germanica.*

IOANNES. GOTTLIEB. FVNCCIVS. *Thonhuſanus*, ingenio valentiſſimus, qui quartum iam in DEVM et PRINCIPEM pietatis ſuae documentum publice daturus, Incitamenta ſtudiorum ex indulgentia boni PRINCIPIS, inter deuotiſſima pro vita et ſalute PATRIS. PATRIAE. OPTIMI TOTIVSQVE. DOMVS. SERENISSIMAE vota, oſtendet *Germanico Carmine.*

Quos vt PERILLVSTRES. EXCELLENTISSIMI. GENEROSISSIMI. ATQVE. AMPLISSIMI. AVLAE. FRIDERICIANAE. ATQVE. VRBIS. HVIVS. PROCERES. MAECENATES. MAXIMI. CVRATORES. GYMNASII SPECTATISSIMI. GRAVISSIMI. RELIQVI. OMNES. REI. LITTERARIAE. FAVTORES. MAXIMOPERE. COLENDI, ſolenne illud ſuum Muſis honorificentiſſimum ſeruantes, gratioſe et beneuole audiant, demiſſe decenterque rogo.

* * * * * * * * *

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731629-p0006-9

Wf 1725. 4°

VD18

ULB Halle 3
006 753 418

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731629-p0007-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731629-p0008-1

DE. SVMMIS

# SERENISSIMAE. GENTIS. ERNESTINAE

IN. REM. ALTENBVRGENSIVM. SCHOLASTICAM

MERITIS

*PROGRAMMA. V*

QVO

AD. AVGVSTA

D. VII. KAL. MAII. cIɔ Iɔ CCLIII. RECVRRENTIS

# NATALIS

SERENISSIMI. PRINCIPIS. AC. DOMINI

DOMINI

# ERICI. III

S. SAXONIAE

NTIVM. ANGARIAE. ET. WESTPHALIAE

MARCHIONIS. MISNIAE. PRINCIPIS. COMITIS. HEN

MARCAE. ET. RAVENSBERGAE. DYNASTAE

ENSTEINII. ET. TONNAE

C. PATRIS. PATRIAE

E. CLEMENTISSIMI

A. POST. MERIDIEM. HORA. III

TRI. FRIDERICIANO. GYMNASIO

IGNITATEM. INSIGNI. VIRTVTIS. NOBILITATE

ORNANTES

DINIS. PROBOS. ET. INDVSTRIOS. IVVENES

N. DEVM. ET. PRINCIPEM

NIVM. LAETITIAE. INTERPRETES

. CELEBRANDA. SOLENNIA

CELLENTISSIMI. GENEROSISSIMI

MI. AVLAE. FRIDERICIANAE

BIS. HVIVS. PROCERES

NATES. MAXIMI

SII. SPECTATISSIMI. GRAVISSIMI

. REI. LITTERARIAE. FAVTORES

XIMOPERE. COLENDI

QVE. OBSERVANTER. INVITANTVR

A

OTTFRIDO. MOERLINO

ICIANI. GYMNASII. DIRECTORE

VM. SOCIETATIS. COLLEGA. HONORARIO

ALTENBVRGI

VLI. EMANVELIS. RICHTERI

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731629-p0009-0